Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31275
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



181

purpura et bysso: et epulabat quotidie splendide. Et
erat quidam mendicus nomine lazarus: qui iacebat ad ia
nuam eius vlceribus plenus cupiens satiari de micis que
cadebant de mensa diuitis et nemo illi dabat. Sed et
canes uenientes lingebant vlcera eius. Factum est autem
ut moreretur mendicus: et portaretur ab angelis in sinum
abrahe. Mortuus est autem et diues: et sepultus est in inferno.
Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis: uidet ab
ram a longe et lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit:
Pater abram miserere mei: et mitte lazarum ut intin
guat extremum digiti sui in aqua: ut refrigeret linguam
meam: quia crucior in hac flamma. Et dixit illi abram: fili
recordare quia recepisti bona in uita tua: et lazarus
similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu uero cruciaris. Et
in his omnibus inter nos et uos chaos magnum firma
tum est: ut hi qui uolunt hinc transire ad uos non possint:
neque inde huc transmeare. Et ait. Rogo ergo te pa
ter ut mittas eum in domum patris mei. habeo enim quinque
fratres: ut testetur illis ne et ipsi ueniant in locum tor
mentorum. Et ait illi abram: Habent moysen et prophetas audi
ant illos. At ille dixit: No pater abram: sed si quis ex mortuis
ierit ad eos penitentiam agent. Ait autem illi: Si moysen et
prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit
credent.